



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

LVII. Vtrum satisfaciat quis plenè, & cu[m] fructu praecepto Ecclesiae de confitendo, qui omnia sua peccata, sed sine poenite[n]tia cordis, Sacerdoti confitetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput III. De Qualitate

peccatorum fuit institutus, cui ipse peccator cedere potest, si non aliud maius damnum inde timeatur.

Licet itaque pluribus simul confiteri, & talis Confessio Sacramentalis est, validaque erit Absolutio secluso obice: Si enim plures Sacerdotes possunt simul eandem hostiam consecrare, ut certum est; quare igitur non poterunt simul eundem peccatorem absolute?

Deinde Confessio per interpretem facta, aut aliò qui tertio assistente, sciente, vel nesciente ipso confitente, ex sententia omnium Sacramentalis est, etiam si secretissimè non fiat. Igitur, quòd Confessio fiat pluribus, aut coram multis, non impedit veritatem Absolutionis subsequenter.

Nec obstat, quòd forum poenitentiae debet esse secretissimum, nam hoc non variat essentiam Sacramenti, quod in Absolutione consistit. Nec etiam vim praeccepti habet, ut solus quis confiteatur; sed benigna ac clemens est expositio praeccepti, sine qua noluit Ecclesia peccatorem ad confitendum obligare, ut Doctores sentiunt plerique.

*Questio Satisfacitne quis plenè & cum fructu
LVII. praeccepto Ecclesiae de confitendo, qui
omnia sua peccata, sed sine poeni-
tentia, Sacerdoti confitetur?*

Nequa-

Nequaquam : Nam præter Confessionis integritatem, requiritur etiam in poenitente vera cordis poenitentia. Id quod Concilium Tridentinum his scripturæ testimoniis confirmat : Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis; & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et certè si quis illos Sanctorum clamores considerauerit : Tibi soli peccaui, & malum coram te feci : Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum; lachrymis meis stratum meum rigabo; & alios huiusmodi, facillè intelliget, eos ex vehementi quodam antea vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Haftenus Concilium.

Respõsio.

Cõc. Trid.

Ses. 14. c. 4.

Ezech. 18.

Psal. 50.

Psal. 6.

Itaque præter cessationem à peccato, & nouæ vitæ propositum, veteris vitæ odium requiritur & detestatio perfecta. Cuius ratio est; quia nemo à Sacerdote efficacem assequitur Absolutionem, nisi quem DEVS etiam verè absoluerit: Absoluitur autem nemo, qui caret omni peccati detestatione, iuxta illud Christi: Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. 13.

Præterea Ecclesia obligat in Cap. Omnis vtriusque sexus &c. omnes Christifideles, in peccatum mortale post Baptismum lapsos, ad semel in anno peragendam Confessionem, quam Christus instituit apud Ioannem: Quorum remiseritis peccata &c. Ioan. 20.

H. DEVS

Cap. III. De Qualitate Confessionis.

DEVS autem Confessionem instituens, cum obliget peccatorem ad vocalem Confessionem Sacramentalem ex cordis poenitentia procedentem; Hinc fit vt Ecclesiae præcepto de confitendo non satis fiat, qui non ita, vt DEVS instituit & iussit, confitetur, nimirum cum vera cordis poenitudine.

Ad hæc, non præcipit Ecclesia quamcunq; Confessionem, sed Sacramentalem, quæque fit cum spe veniæ & Absolutionis coniuncta, non modò ab Ecclesia, verum etiam à DEO: Ad hoc enim præcipitur, vt poenitens deposita peccatorum sarcina, non ad sui ipsius condemnationem mensæ coelestis particeps fiat. Vt autem hac fruatur, non satis est integrè confessum esse; nisi etiam omninò sua peccata ex animo fuerit detestatus: Itaque vt præcepto Diuino & Ecclesiae satis fiat; & ne iudicium sibi manducet & bibat poenitens: integra omnium scelerum Confessio, cum seria cordis detestatione necessaria est; aliòqui Confessio inutilis erit, nec profuerit quicquam; nisi fortè ad Ecclesiasticæ poenæ euitationem.

1. Cor. 11.

CAPVT